AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 160v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



de hoc mundo. Quomodo enim erat de mundo, per quem factus est mundus.
Omnis homo de mundo per mundum, quia prius mundus. Et sic homo de
mundo. Prius autem Xpc et deinde mundus. quo ante mundum Xpc.
ante Xpm nichil, quia in principio erat verbum, omnia per ipsum facta sunt.
Sic ergo erat ille de supernis. De quibus supernis. De aere. Absit. Ibi et a
ues uolitant. De celo quod uidemus. Et hoc absit. Ibi et stelle. et sol.
et luna circueunt. De angelis. Neque hoc intelligatis, per illum et an
geli facti sunt, per quem omnia facta sunt. De quibus ergo supernis Xpc. Ab ipso
patre. Nichil illo superius quia uerbum genuit equale sibi. coeternum sibi.
unigenitum sine tempore, per quem conderet tempora. Sic ergo accipe Xpm.
de supernis. ut excedas cogitatione tua omne quod factum est. uni
uersam omnino creaturam. omne corpus. omnem conditum spiritum. omnem rem.
quo quomodo mutabilem. Totum excede sicut excessit Iohannes. ut contingeret
in principio erat verbum. et uerbum erat apud deum. et deus erat verbum.
Ego ergo inquit de supernis sum. Vos de mundo estis. ego non sum de hoc
mundo. Dixi ergo uobis. quia moriemini in peccatis uestris. Exposuit
nobis fratres. quid intelligi uoluerit. uos de hoc mundo estis. Ideo
quippe dixit uos de hoc mundo estis. quia peccatores erant. quia in
iqui erant. quia infideles erant. quia terrena sapiebant. Nam quid
uobis uidetur de sanctis apostolis. Quantum intererat inter iudeos et apostolos.
Quantum inter tenebras et lucem. quantum inter fidem et infidelitatem. quan
tum inter pietatem et impietatem. quantum inter spem et desperationem.
quantum inter caritatem et cupiditatem. Multum enim intererat. Quid ergo.
Quia tantum intererat. apostoli de mundo non erant. Si cogites
quomodo nati sunt et unde uenerint. quia omnes ex adam uenerant. de
hoc mundo erant. Sed quid eis ait ipse dominus. Ego uos de mundo
elegi. Qui ergo erant de mundo facti sunt non de mundo. et pertinere
ceperunt ad eum per quem factus est mundus. Isti autem remanserunt
esse de mundo. quibus dictum est. moriemini in peccatis uestris.
Nemo ergo dicat fratres. de hoc mundo non sum. Quis quis es homo. de hoc
mundo es. Sed ueni ad te qui fecit mundum. et liberauit te de hoc
mundo. Si delectat te mundus. semper uis esse in mundus.
Si autem iam non te delectat hic mundus. iam tu es mundus. Uerum
tamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus.
habitet et in te qui mundat. et eris mundus. Si autem fueris